







1596, 14

24

THEMATA
DE MELANCHOLIA

quæ

PRAESIDE MAGNIFICO ET CLARRISS. VIRO, FRANCISCO PARCOVIO PHILOSOPHIÆ & Medicinæ Doctore, & in illustri Iulia facultatis Medicæ professore & Decano, ac pro tempore Academiae vicerectore

Pro licentia consequendi gradum Doctoris in Medicina, publicè examinanda proposuit,

M. DVNCANVS LIDDELIVS Scotus superiorum Mathematicum ibidem professor.

Fiet disputatio 23. Septemb.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVI.





NOBILISSIMIS ET
GENEROSIS DNN. HEROICA VIR-
TVTE, ET MULTIPlici BONA DOCTRINA
PRAESTANTIBVS, EQVITIBVS LIVO-
NIS, FRATRIBVS GERMANIS

A NOLDEN:

IOANNI,

IN CVLTV LITTERARVM, ET STVDIIS CI-
VILIBVS PATRIAE VIVENTI

ET

MAGNO,

HODIE IN EXERCITV IMPERIALI CHRIS-
TIANORVM, ADVERSVS SAEVISSIMVM
TVRCARVM TYRANNVM, CVM LAV-
DE MILITANTI,

DOMINIS HAEREDITARIIS IN
HASENPOE GRAM-
SEN etc.

Hanc disputationem obseruantiae & grati ani-
mi ergo inscribit

M. DVNCANVS LIDDELIVS SCOTVS.

THESIS I.

M

Elancholia in illorum affectuum numero est, teste Gal. 2. Methodi. cap. 2. qui nomen à caussis acceperunt. Nam ipsum nomen tum effectui, tum efficienti caussæ conuenit. Causa autem illa est humor faculentus & ater, vt post apparebit, qui si cerebrum occuparit, mentem vitare solet, idcirco Medici desipientiam quæ inde oritur, eodemq; nomine Melancholiam propriè vocarunt: impropriè verò Maniæ interdum tribuunt. Licet Alexand. lib. 3. cap. 7. Maniam nihil aliud esse dicat, quàm intentionem Melancholiæ ad maiorem feritatem.

*melancholia nomen est
à ca & gilla.*

2. Ea autem desipientia, Melancholia propriè dicitur in qua imaginatio, interdum quoq; cogitatio deprauatur sine feбри & furore, cum metu & mœstitia absque manifesta causa: cogitationem interdum dico si malum intendatur. Nam ex falsa mali imaginatione, & opinione animum deiciente ratio interdum ita corrumpitur vt aliena multa circa sua visa cogitent, & seipsos teste Gal. aliquando interficiant. Quare in Melancholia affecta erit propriè principis facultatis sedes cerebrum, & ex consequenti affectuum principium.

*cum desipientia dicitur
in melancholia.*

3. Sumitur autem Melancholia aliquando pro ipso morbo & praua cerebri constitutione, plerunq; pro læsione principis facultatis, siue pro ipso delirio, quod illam prauam cerebri constitutionem consequitur.

4. Hoc modo Melancholia definitur, delirium cum metu & mœstitia sine manifesta causa, proueniens ab intemperie frigida sicca, ex humore vel vapore Melancholico cerebrum occupante, & spirituum in cerebro substantiam alterante.

5. Constitutio enim ad quam consequitur Melancholia, est cerebri quatenus est pars similis, & non instrumentalis quia sensim fit, atq; etiam autore Hip. 6. Epid. sect 7. qui melancholicos magna ex parte Epilepticos, & conuerso fieri existimat,

*Melancholia cum hinc
est pars similis.*



stimat, prout in hanc vel illam partem infirmitas siue humor Melancholicus repit: vbi enim in corpus repit Epilepsiam; vbi in mentem Melancholiam procreabit. In corpus repere intelligitur teste Gal. 3. de loc. cap. 7. si in cerebro obstructionem excitauerit: in mentem verò si cerebri & spirituum substantiam alterauerit.

6. Nam Melancholia propriè non excitatur, nisi cerebro intemperato, & tenebris simili reddito, quæ intemperies nuda non est, sed cum materia, ac ex humore vel vapore Melancholico cerebrum irrigante, & spirituum in cerebro substantiam in suam naturam alterante, proinde sicca & frigida, quæ intemperies cordi quoq; tandem communicatur.

7. Humor Melancholicus occupans cerebrum non est qui atrabilis dicitur, naturâ acris, sed succus frigidus & ficcus: hic vel in ipso cerebro gignitur, vel aliunde in cerebrum transfertur & transmittitur: gignitur autem in cerebro nonnumquam à calore, si ante melancholiã, caput inflammatione, phrenitide, aut simili affectu sanguinem adurentem, laborauerit, relinquitur post adustionem, materia sicca, frigida.

8. Aliquando à frigiditate & siccitate fit, diaphanas teneſque sanguinis partes exprimente, veluti ex graui & vehementi cogitatione, ex vigilijs cum mœrore & metu qui affectus cordi quoq; communicatur, nam cerebri & cordis maximus consensus est: ac euenire interdum solet, quando cor vehementi timore, graui mœrore, aut intemperie quadam afficitur, vt atrum humorem per arterias in cerebrum transfundat, vnde cerebrum alteratur, & spiritus animalis crassus & tenebricosus gignitur.

9. Transmittitur autem & transfertur humor Melancholicus in cerebrum, aut à toto corpore, & ambitu omnium venarum, si redundantia in toto fit, aut à parte aliqua corporis: in qua transmissione non semper eodem modo cerebrum concurrit:

currit: nam aliquando ob imbecillitatem quandam tantum suscipit, interdum dolore, & calore melancholicum humorem vel vaporem attrahit, à quo attracto deinde alteratur & immutatur.

10. Redundantia autem illa à varijs causis oritur: primum vitio alimentum quando quis crassis cibis alitur; huiusmodi sunt carnes caprinæ, ceruinæ, leporinæ, bubulæ, aprinæ: item carnes sale conditæ, & fumo induratæ: pisces cetacei, aues palustres: legumina omnia maximè lentes: ex oleribus brassica: panis furfuraceus: caseus vetus si in corpore supercalefactus fuerit: cereuisia & vina crassa &c.

11. Præter alimenta accedunt vitæ studia quæ corpus exiccant & sanguinem crassum efficiunt: Deinde aër obscurus caliginosus: vigiliæ, fames, arduæ cogitationes vt in studijs: animi perturbationes & sollicitudines omnes, quibus adde ex anni temporibus autumnum melancholiæ opportunum.

12. Internæ causæ illius redundantia sunt corporis dispositio melancholica, nimirum hirsuta, nigra, gracilis cum latis venis, constituta iecoris apta ad succum melancholicum gignendum; vitium lienis cuius ratione succum illum vel non attrahit, vel non debite suscipit, vel non commode expellit: vnde corpus succo melancholico perfunditur. Præterea consueta alicuius euacuationis suppressio vt mensium hæmorroidum &c. His adde ætatem declinantem, febres ardentes & similia.

13. Ratione causarum vnde primum oritur melancholia in tres species præcipuas diuiditur: quarum prima fit ab humore melancholico cerebrum duntaxat obsidente, quæ primaria & per essentiam dicitur: Altera ab humore & vapore in toto corpore & ambitu omnium venarum redundante, ac propterea ipsum cerebrum afficiente, quæ melancholia ex consensu totius uocatur: Tertia fit à vapore melancholico

ab hypochondrijs in cerebrum sublato quæ hypochondrica ob id dicitur & quia flatibus obnoxia flatulenta. Verum nomine hypochondriorum omnes inferioris ventris partes comprehenduntur, & eæ in primis, quarum ratione sanguis aduri, aut in quibus succus melancholicus coaceruari poterit, vnde vapores fuliginosi in cerebrum eleuantur.

14. Melancholici autem vapores quæ in cerebrum deferuntur varijs modis oriuntur: primò ab efferuescentia sanguinis, ex obstructione in venis quæ alimentum à ventriculo accipiunt (nimirum inter ventriculum & iecur) vt Diocles voluit: secundò à magno pylori & incumbentium partium ardore, chylum & sanguinem adurente (non autem à vera inflammatione) vt ipsi Gal. 3. de locis c. 7. videtur. Tertio vitio lienis, nimirum à seroso humore, è liene in ventriculum irruente, vt Gal. 5. de locis c. 6. testatur: vel à melancholico humore circa viscera detento, qui à liene non expurgatur: ac tandem à putredine in vasis vteri, vel seminalibus ex menstruis suppressis, vel semine retento: quod viduis & grandioribus virginibus euenit, vt Gal. 6. de loc. c. 5. innuit, & Hip. libello de morbis virginalibus, ac Aretæus 2. de Acut. pass. c. 8 testantur.

15. In his omnibus malum ventriculo primum communicatur, & concoctio impeditur: vnde æstus fluctuationes aliaq; circa ventriculum accidentia eueniunt: interdum vbi efferuescentia in arterijs est, malum quoque cordi communicatur & ex consensu afficitur.

16. Signa melancholiæ instantis sunt vigiliæ, somnus turbulentus, cum tristibus imaginibus, conturbatio sensuum &c. Præsentis verò signa sunt, metus & moestitia longo tempore sine manifesta causa, suspicio, diffidentia, odium & auersatio hominum, interdum lachrymæ, cogitationes intentæ &c.

17. Omnibus timor & mœror communis est, licet idem timoris

mōris modus non sit, nec delirij ratio: quod ex diuersitate phantasmatum & imaginationum euenit quas adeo valide plerumq; recipiunt, vt difficilimē abijcere queant, sed illis inuitis occurrant, & cæteras imaginationes similes reddant.

18. Illa autem imaginationum diuersitas non raro naturam & dispositionem corporis imitatur, aliquando vitæ conditionem & studium: Nam ex vitæ studio nonnulli (vt monachi) preces murmurant, cantillant & templa extruere volunt: Qui diuinationibus dediti sunt (vt Astrologi) diuinos vates se esse existimant & eo errore futura prædicere putant: Sunt etiam qui futura prædicunt: qui contentionibus insudarunt, accusationes & libellos supplices meditantur: quidam poëtico furore perciti versus semper scribere volunt, & teste Arist. i. probl. sect. 30. Marcus ciuis Syracusanus poëta etiam præstantior erat dum mente alienaretur: Auari licet ditissimi sint, paupertatem suam deflent, & de pecunijs cogitant: Chymici nil nisi aurum meditantur: Nonnulli ob consuetudinem cum magnatibus, principes & imperatores se esse existimant: Alij contrâ supplicia & pœnas metuunt.

19. Ob diuersam humorum & corporis constitutionem nonnulli perpetuo flent; aliqui rident, sed qui rident paulo post, tristes & tetricosi fiunt: quidam ob flatus in caput sublato caput se habere negauit. Alius ob cutis siccitatem vas fictile se esse putauit, & ne collideretur omnibus occurrentibus cessit: sunt & alia infinita melancholicorū phantasmata.

20. Ac in summa talibus imaginationibus melancholici vigilantes afficiuntur, quales nobis somniatibus obueniunt, vino, ebrietate, amore, alijsq; similibus affectis. Et quemadmodum ebrietas non est vniusmodi, sed cuique propria, pro natura & constitutione, alij enim flent, alij rident, nonnulli amant, quidam irascuntur & obuios cedunt: ita in melancholia euenire solet.

Porro



*Unde enim. Sicut
et humor in
lanc. h. h. h. h.*

21. Porro quomodo in hoc affectu timiditas oriatur dubitari poterit. In confesso Medicis & Aristoteli est, constitutione humorum & corporis temperamentum mores animi & corporis variare, unde Arist. 1. probl. sect. 30. metum & moestitiam frigidam constitutionem sequi arbitratur: & Auerrhoes 3. collig. c. 40. naturam & dispositionem melancholici humoris in corpore. Quemadmodum enim iuventus confidentes & senectus natura timidos ac tristes facit: ita frigiditas quae senectuti comparatur tristitiam & metum concitare solet, & ut sanguinem hilaritas & gaudium, ita Melancholiam timiditas & moeror consequuntur.

22. Galenus timorem illum fieri dicit, quod ater humor qui tenebris similis est principi animae parti circumfundatur: tenebras verò pauorem maximè concitare, idcirco nihil miri esse melancholicum semper timere qui causam timoris in corpore secum circumferat.

23. Verum haec ratio multis infirma videtur. Nam si Melancholicis timor propriè conueniat, quod humor cerebro circumfusus ater & tenebris similis sit, certè Maniaci, quos audacissimos esse constat, timidissimi erunt. Nam Mania ab atra bile fit, quae colorem & splendorem picis liquidioris refert.

24. Deinde in confesso est timorem & ceteros affectus à corde oriri & dispositionem cordis sequi, verum non concitari nisi praecedente obiecti alicuius cognitione aut saltem apparentia, nimirum imagine eius quod auersatur & odit. At eius propriè quod in corpore est, nulla apparentia esse poterit sed quod in sensibus primum adumbratur.

25. Proinde à colore atro humoris in cerebro, timor Melancholicis non concitatur, nec color ater ad timorem inclinatur, sed natura & dispositio Melancholici humoris in corpore. unde spiritus animales qui natura sua lucidi sunt: opaci
& te.



nebricosi efficiuntur, ac ex sensibus exterioribus imagines rerum auersarum in phantasia adumbrantur & excitantur, quibus conceptis cor cocitatur & metus moesticiaque aboritur.

26. His determinatis, restat vt propria singularum species rerum signa & notas cognoscamus: ac primum si Melancholicus succus totum corpus & vniuersas venas occupauerit, ex causis redundantiae in toto supra propositis indicatur, nimirum ex habitu corporis & dispositione viscerum, ex suppressis euacuationibus consuetis, ex ætate, ex præcedente victus ratione, ex affectibus & actionibus animi & corporis etc. quibus accedunt cutis color ad nigredinem vergens, venæ tumentes, nigricantes, vlcera praua & interdum varices. Vt verò certior habeatur cognitio & iudicium confirmetur, vena communis secetur, & si sanguis fluens melancholicus esse videatur, in toto omnibusque venis melancholiam redundare iudicabis.

27. Quod si verò sanguis Melancholicus non videatur, ac circa hypochondria nulla symptomata appareant, nec à ventriculo prima accidentia inceperint, primitiuam in cerebro affectionem consistere putabis: hæc desipientia continua est & sine intermissione, cum cogitationibus intentis: ex materia melancholica in cerebro contenta, quæ an in cerebro ipso genita sit, an aliunde in cerebrum transmissa ex antecedentibus causis, & dispositione cerebri, & accidentibus circa cerebrum cognoscitur.

28. Melancholici hypochondriaci signa propria sunt accidentia circa ventriculum, nimirum, acidi ructus, cruditates, æstus in præcordijs, & interdum suffocatio, anxietates & palpationes cordis, dolores stomachi qui ad dorsum aliquando extenduntur, vomitus nunc crudorum, nunc acutorum nunc amarorum, fluctuationes cum sputo copioso & humido

B

mido



mido, inprimis post cibum acrem & difficilis concoctionis, ubi ventriculus eum retinere inceperit, quæ omnia ructu, vomitu, aut alui deiectione & concoctis refrigeratisq; cibis quiescunt, mox verò alijs ingestis, velut suppeditato pabulo, eodem penè modo redeunt, ac quoque augentur auctis cruditatibus.

29. In omnibus similia circa ventriculum accidentia non occurrunt, & sunt qui periodos habent & certa temporum intervalla, quibus ab humoribus euaporantibus afficiuntur. A qua verò parte fomes & causa mali sit, ex antecedentibus causis, ex dolore, ex grauitate tumore & alijs circa partem affectam accidentibus iudicatur.

30. Sunt etiam causarum signa obseruanda, primo si à melancholico humore simpliciter sit, desipientia sine obliuione erit, cum diffidentia maiori, & cogitationibus assiduis. Si vna sanguis redundauerit cum risu interdum, & iucundioribus imaginationibus: si bilis cum maiori iracundia & commotione. si pituita cum pigritia obliuione & stupore magis: si materia malignam qualitatem acquisierit furore interdum corrumpuntur, interdum belluinos mores induunt, & more luporum hominibus insidiantur, quæ insanix species lycanthropia dicitur.

31. Prognostica Melancholia cum læsio principis facultatis sit, negligenda nullo modo erit, nam teste Alex. initio non adeo difficulter curatur. Inueterata plerunq; incurabilis est, & penè in naturam transit. Deinde permutationes periculosissimas facere solet (vt 56. Aphor. 6. testatur Hyp.) nimirum in apoplexiam, maniam, conuulsionem, & cæcitatem. Omnium pessima est hæreditaria, quæ nunquam penitus extirpatur. Deinde quæ per essentiam in cerebro & inueterata. Mitissima hypochondriaca, quæ tamen si negligatur in proprium cerebri affectum aliquando in Maniam, nonnunquam

quam in febrim hectica non abfimilem & marcorem degene-
rare solet. Desipientia cum risu & iucundioribus imagina-
tionibus minus periculosa. Mala si cogitatio vna læta sit:
Bona si materia morbi deorsum vergat, & consuetæ euacua-
tiones redeant: nam Melancholiam soluant: vnde si Melan-
cholicis hæmorrhoides superuenerint bonum, bonum quoq:
si varices.

32. Restat vt ad curationem perueniamus: in qua indica-
tio est, vt materia siue in solo capite siue per cōsensum in to-
to sit, vt commodè euacuetur, & causæ eam generantes &
fouentes tollantur, quibus sublatis affectus cerebro impres-
sus calidis humidisque alteretur, & tam cerebrum quàm cor
reficiatur, vt spiritus animales puri & lucidi gignantur.

33. Hæc omnia tribus instrumentis perficiuntur, Diæta,
Chirurgia, & Medicamentis. Ac primum commoda Diæta
vna cum balneis Gal. 3. de loc. aff. ca. 7. multos in initio se-
cuisse affirmat, verùm diæta non alimentum solum, sed etiam
cæteras res non naturales complectitur.

34. Aër in omni Melancholia, sit purus, lucidus, mode-
ratè calidus, humidus, vel sponte vel arte per vapores gratos
& iucundos.

35. Sibi sint probi succi, parui excrementi, facilis con-
coctionis flatus expertes, ad humidum non nihil declinantes:
vt sunt carnes pullorum gallinaceorum, perdicum, Phasianor-
um, auicularum. Item agnorum, veruecum iuniorum, eo-
rumque iuscula, oua recentia forbilia, pisces saxatiles &c.
panis ex pura farina tritica probè coctus & fermentatus. V-
tendum quam simplicissimo cibo, & plura dissimilis naturæ
vno tempore non ingerenda, ac cœna leuior prandio sit.

36. Potus, vinum qui assueuerunt album tenue, alijs ce-
reuisia benè cocta & defecata mediæ ætatis, præparata inter-
dum corticib. rad. Bugloss. Absynthio, Enula, Scolopen-

dria &c. diligenter cauendum est ne potus quantitas, cibi quantitate superet, ac in ventriculo natet. A coena & prandio vel nihil vel quàm minimum bibendum: expedit etiam in cibo vsus Bugloss. Borag. Capparorum, passularum, pomorum odoratorum &c.

37. Exercitia moderata cibos præcedant, in primis manè in locis amænis, redditis prius alui excrementis, vel sponte, vel arte: exerceantur verò dum corpus floridum reddatur sed non ad lassitudinem.

38. Somnus maximè idoneus nocturnus, tribus à coena horis, vbi cibus in fundo ventriculi resederit, vigiliæ supra modum obsunt: proinde si somnus non obrepat, conciliandus erit, lotionibus manuum & pedum, ex Decocto Anethi, Camomillæ, Nymphææ, violarum, lactucæ foliorum Salicum, Capiti papaueris & similibus: item vnctis naribus & temporibus vnguento populionis, Nymphææ, violarum &c.

39. Animus ad læticiam & tranquillitatem componendus, & ab omni fixa cogitatione auertendi, affectus, tollendi ac vt admonet Celsus, quærenda delectatio ex musicis instrumentis, & cantilenis, ex iocis, & fabellis, & ijs, quibus cum fani essent capi consueuerunt, bona spe implendi, & ad animi constantiam, & securitatem excitandi, adhibendi quoq; custodes & assidentes iucundi, quorum consuetudine delectantur.

40. Quòd si imaginatio adeò validè impressa sit, vt cæteras imaginationes similes reddat, ea omni arte & studio tollenda, & vt Paulus admonet, mens ad alia diuertenda; quod vt fiat phantasiæ eorum obseruandæ erunt, nam nunc blandè admonere, nunc callidè subseruire & obsequi illis oportet, vt falsam imaginationem placidè subuertamus, non rarò obiurgandi & reprehendendi erunt, ac interdum nouo terrore iniecto prior excutiendus: eoq; deducendi vt imaginationes suas

suas falsas esse intelligant, & animo tranquillo sint, ac medico obsequantur, quod primum & præcipuum est in curatione.

41. Superest ut singularum specierum curam proponamus initio factò ab ea, quæ ex consensu totius, in quo præmissò Clystere aut lenituo aliquo, ad communium excrementorum euacuationem: vena communis secetur, quæ à supernis & infernis partibus pariter euacuat: euacuandum autem erit quantum plenitudo venarum postulat vna vice, si vires patiuntur, alioqui partitis vicibus: verum detractis duabus aut tribus vncijs, si sanguis tenuis ac clarus apparuerit nisi plenitudo adfuerit, sistatur. Quod si verò malum à iecore, sit nonnulli hepaticam, si à liene, lienariam secant: si à mensuris retentis, venam tali vel poplitis, ac omni studio laborandum ut consuetæ euacuationes redeant, & Hemorrhoides ac menstrua in foeminis fluant,

42. Post sanguinis missionem ad ea deueniendum quæ & sensibiliter & insensibiliter vacuant, præparatis humoribus & consideratione habitâ cuius partis vitio redundantia illa generatur & fouetur, ac eò dirigenda curatio: præparantia sunt, Syrup. Borag. Bugloss. de pomis, capillorum Veneris, violar. Meliss. Lupulorum, fumarix cum aquis vel decoctis eorundem, additis Cephalicis & si vitio iecoris Endiuia Cichorio agrimonia & similibus.

43. Quod si verò materia crassior fuerit, & à liene foueatur, pro varia intentione cum iam dictis, extenuantibus vtendum erit nimirum, Cort. Rad. Cappar. Thamarisci fraxini, Rad. aperientibus in aceto maceratis, si calor suspectus sit: Rad. filicis maris Enulæ &c. Herb. capillaribus Absynthio Carduobenedicto, Agrimo. Chamæpit. Chamedr. &c. flor. cordialibus Sambuci, Genistæ, Anthos. Sem. Citri. Cuscutæ, Anisi Melonum &c. Vtantur quoque cum aquis vel decoctis appropriatis. Syrupò Scolopendriæ, corticum citri, Byzantino,

tino, Sapor regis, de Epithymo &c. Melle rosato, oximelite simplici & composito &c.

Præparatio

44. Purgant autem Melancholicum humorem, teste Gal. & Paulo, Epithymus cum sero lactis si materia acrior sit, vel cum mulla si crassior; Eodem modo Polypodium, Epithymus & sena, vel cum decocto veteris galli vel cum decocto appropriato: Præterea Mirobalani omnes, inprimis nigri præparati oleo Amygd. dulcium, & contusi ac macerati in sero lactis caprini, vel in aqua fumarix: Item elect. lenituum, diasena solutiua, cum decocto florum & fructuum. Hiera cum puluere Epithymi, ac interdum cum Cassia extracta: Syrup. Melancholicus Montani & similia. Validiora sunt confect. Hamech, infusum & decoctum Hellebori nigri, Syrupus eiusdem, & extractum. Item Hieræ magnæ: Pillulæ Indæ. de lapide Lazuli; de lapide Armenio, cochicæ cum Helleboro:

45. Veteres ex helleboro albo per superna purgârunt, verum qua forma & modo vsus sit Hippocrates ignoratur, posteriores diluto vsi sunt; tutius tamen erit vt admonet Hipp. 9.aphor.4. melancholicos plenius per inferiora purgare, nisi humor in ventriculum vergat, & vomitu assueti sint.

46. His alijsq; pro natura & constitutione humorum ac dispositione corporis vtendum erit, incipiendo semper à lenioribus, & sensim ad validiora procedendum, si malum non cedat & vires patiantur: quod si non ferant, contemperatio per *ἐπιμειξιν* tentanda erit, qua noxius humor sensim educitur, & pro eo quod salubre est reponitur: ad validissima verò & vehementes euacuationes non nisi iusta ratione deueniendum erit.

47. Poterit autem materia vel seorsim aliquot diebus præparari, appropriato decocto vel Syrupis: deinde purgari: contingit verò non infelici successu vt præparantibus purgantia

gantia misceantur, & partitis vicibus humor noxius educa-
tur: forma autem liquida magis probatur quàm solida, qua-
lis est pillularum, quæ corpus nimium exsiccât, proinde post
omnem pleniorẽ euacuationem, ad corporis contempera-
tionem Aëtius pul. seminis Maluæ 3. ij propinat, aliqui pil-
lulas (nimirum de lapide Lazuli & similes) cum Syrup. vio-
lar. aut Bugloss. exhibent & post serum lactis cum manna,
aut ptisanam propinat.

48. Verùm quia continuo medicamentorum vsu virtus
languet, & malum interdum irritatur, aliquamdiu cessandum
erit: Nam vt scribit Aretæus cedit Melancholia, cedentibus
medicis.

49. A purgatione vniuersali, vtendum erit reuellentibus
& auertentibus à capite & à cerebro: nimirum ligaturis fri-
ctionibus extremorum, cucurbitulis, ac per interualla cly-
steribus: Si verò dolore & calore caput materiam attraxerit,
oxyrhodano & similibus statim in initio illinendum: Quod
si verò post purgationem materia aliqua adhuc in cerebro
resederit, Errhinis, Masticatorijs, sternutatorijs & simili-
bus educenda.

50. Laudantur teste Paulo quæ vrinam prouocant ac quo-
quæ quæ sudores mouent, vt balnea dulcia, quæ non solùm
melancholicos humores, & vapores discutiunt, & sudore eua-
cuant: sed etiam malignitatem eorum mitigant, & totum cor-
pus contemperant. Balnea autem sunt ex aqua dulci calida,
alterata Maluis, Althæa, Melissa, florib. Chamomill. Bugloss.
Borag Sem. lini, fænugræci &c. In balneo caput pilis abrasis
torrentis ictu rigetur: deinde oleo Amygd. dulcium, Chamo-
millæ & similium vngatur, ac qualitas impressa alteretur:
vngatur ijsdem tota spina, ac nonnunquam pulmo arietis,
calidus, vel pullus per dorsum incisus capiti calidè admoue-
atur.

Exhi-

51. Exhibenda quoque erunt, quæ cerebrum & corroborent, Spiritus reficiunt & malignitatem succorum temperant & discutunt, vt sunt: Syrupi & conseruæ Borag. Bugloss. Meliss-violar. Bethon. de pomis: conseruæ Satyrionis Enulæ. Cortices citri conditi, Mirabolani conditi: Margaritæ præparatæ: Elect. lætificans Galeni & Rhafis: Elect. de gemmis: Ele. Conciliatoris Alchermes: Diambra: Diamonichus, Dianthos pliris archantecon manus Christi, maiores Andidoti & similia. Ab extra verò cordi sacculi & Epithemata corroborantia applicanda, ac accidentia omnia corrigenda. Quod si recens malum non sit, curatio vere & autumnano tetanda solum erit.

*Circa Melancholiam
hypochochondriam in Cerebro
620.*

52. In melancholia primaria & per essentiam vbi vitiosus humor in solo cerebro consistit, phlebotomiam Galenus non præcipit, nihilominus practici pleriq; Cephalicam secant, ac perseuerante malo venam frontis aut narium, quæ materiam è cerebro vacuat. Laudatur à nonnullis trepanatio: ab alijs Cauteria vt in Epilepsia, nimirum in brachijs vel in coronali futura, vel inter primam & secundam vertebam præmissis debitis præparationibus & purgationibus: Deinde cæteris quæ vel ex capite noxium humorem euacuant, vel intemperiem illius corrigunt, & spiritum animale reficiunt quæ omnia supra indicauimus.

53. Restat curatio Melancholiæ hypochochondriacæ in qua præcipuus scopus, vt obstructio & efferuescentia in hypochochondrijs tollatur, ac os ventriculi & cerebrum corroboretur ne vapores exhalantes recipiant: quod vt fiat, cruditas omnis vitanda & bona concoctio procuranda.

54. Deinde præmissis Clystere emolliente flatuq; discutiente, si sanguis redundauerit aut Melancholicus sanguis ex aliquo viscere in ventriculum, & ventriculi venas deriuatus fuerit, vena secetur, nimirum interna brachij dextri si ex iecore:



core: sinistri si ex liene: vena tali aut poplitis si ex vtero: Sic enim reuulsione facta, purgatio e venis obstructis, per quas fertur humor, & quibus ex morbi diuturnitate impactus est facilius procedit, verum parcior fieri debet sanguinis educio. Rhafis saluatellam commendat: Aliqui venas crurum vel Hemorrhoidum vt materia infra iecur susistens & sursum euaporans, retrahatur.

55. Detracto sanguine, materia impacta praparetur conuenientibus decoctis & Syrupis supra commemoratis, quibus addantur quae flatus discutunt & peculiariter ventriculum confirmant, ac mali fomitem respiciunt.

56. Materia praparatata per interualla purgetur primo lenioribus quae crudos simul & Melancholicos succos euacuant. Nam hypochondriaci magnam crudorum humorum copiam coaceruare solent, talia sunt hiera simplex cum pul. senae vel Epithymi. Ius galli decrepiti praparatatum cum fol. senae Epithymo, thymo, polypod. carthamo &c. probantur Clysteres acriores. Verum si malum a iecoris calore sit lenioribus vtendum, quae nec iecur calefaciunt, nec ventriculum laedunt, ac e venis maioribus in ventriculum humorem non trahunt. Sin a liene aut alijs partibus sensim validioribus vt in Melancholia ex toto vtendum. Verum si ex mensruis & semine retento viduis & virginibus grandioribus eueniat menstrua prouocentur & nubant.

57. Commendantur per superna purgationes ex Azaro &c. si aeger vomitu affuetus sit, quia natura per eas partes tendere videtur: Paulus si inueteratus sit affectus, purgationes vomitu per veratrum album prastantissimum remedium esse scribit: caeterum veratrum in substantia non datur sed in diluto, ex radícula vt describit Holerius, vel alia simili ratione. Nonnulli Antimonio magno tum periculo vtuntur, verum si ventriculus debilis sit a vomitu temperandum erit.

C

Lau-

58. Laudatur ab Aërio in hoc affectu absynthij decoctum, probatur à recentioribus Syrupus Donati: item decoctum centaurij minoris, Pulegij Chamæp. Chamæd. &c. quod si leuioribus remedijs non cedat & obstructions adfuerint aliqui medicamentum ex chalibe propinant.

59. Post purgationes vtendum quæ reliquas materias dissipant, ventriculum & cætera viscera confirmant, ac flatus discutiunt, cuiusmodi sunt Aromaticum rosat. diacimini Diagalanga, theriaca vetus Mithridatum &c. Deinde quæ cor & cerebrum reficiunt, vapores auertunt & peculiariter alterant.

60. Ab extra, hypochondrijs admouenda quæ flatus discutiunt & ventriculum roborant, nimirum vngantur Ol. Absynthij Chamomillini, rutæ, nardini, Irini: Item Ol. Macis, Cariophill. Cimini vel oleo in quo decocta sunt Absynthiū, Pulegium, serpillum flor. chamomill. Sem. viticis rutæ, cimini baccæ lauri &c. fiant etiam ex his fomenta & cataplasmata.

61. Quod si flatus vehementer vrgeant, affigatur hypochondrijs cucurbitula magna, cum multa flamma: ventriculus etiam à cibo arctè ligetur: Præterea vt humor à centro ad superficiem extrahatur, & ventriculus reficiatur, Dropex cum pice ex oleo rutæ, vel laurino & pul. Cimini per intervalla ventriculo & vicinis partibus applicetur, ac sensim ad sinapismos ascendere licet, si iecoris & vicinarum partium caliditas non impedierit, quorum omnium, sed in primis lienis ratio habenda, quæ si fomes mali huius sit, eo dirigenda curatio. Sed hæc aliaque iudicio prudentis medici relinquenda erunt.

F I N I S.







ULB Halle
003 338 150


3



TA-OL

VD 77







1596, 14
24


THEMATA
DE MELANCHOLIA

quæ
PRAESIDE MAGNIFICO ET CLARRISS. VIRO, FRANCISCO PARCOVIO Philosophiæ & Medicinæ Doctore, & in illustri Iulia facultatis Medicæ professore & Decano, ac pro tempore Academiae vicerectore

Pro licentia consequendi gradum Doctoris in Medicina, publicè examinanda proposuit,
M. DVNCANVS LIDDELIVS Scotus superiorum Mathematicum ibidem professor.

Fiet disputatio 23. Septemb.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVI.

